

ægrota; & cutis alteratur, & tactus hominis fallitur, exempli gratia: Cor temperatum est ad iusticiam, quod cutis temperiẽ plus, quàm aliarum partium ulla, calore superat.

*Partes calidæ.*

Reliquæ partes omnes ad cutem collatæ vel ad caliditatem, vel frigiditatem, vel humiditatem, vel siccitatem deflectunt. Inter calidas primum locum occupat, & inter omnes calidissimum est Cor, ut pote calidi nativi fons, & spirituum vitalium officina, & quasi ignis quidam focus, ut scribit Galenus, *de fæt. format. c. 3.* Cordi succedit epar & caro musculorum, lien, renes, pulmo. Quo pertinent & venæ & arteriæ; quæ non solum inter calidas partes ideo recensentur, quod sanguinis & spirituum vasa sunt, sed quia etiam obtinent fibras carneas. Quod innuit Galenus, *2. de temper. c. 3.* Non est, inquit, idem fibrarum genus: sed quæ in musculis habentur nervorum & ligamentorum sunt particulae. Cordis propria quædam fibrarum species est, æquæ scilicet ut venarum atq; arteriarum, itemq; intestinorum, ventriculi, uteri & vesicæ utriusq;. Licet enim in iis quoque instrumentis propriam quandam videre carnem suis ipsarum fibris circumnata. Atq; hæc quidem carnes cute sunt calidiores. Tandem etiã in hanc classem meritò referenda est pinguedo & adeps, utpote cujus materia est sanguis tenuior & oleosior, ut docet Galenus, *2. de temperam. c. 3.* & vim discutiendi, attenuandi & maturandi obtinet, facileque inflammatur.

Inter partes frigidas primum locum obtinent ossa, deinde cartilagine, ligamenta, tendines, nervi, membranæ, spinalis medulla, cerebrum.

*Frigidæ.*

Humidæ partes hæc sunt, adeps & medulla ossium, cerebrum, medulla spinalis, testes & mammae, pulmo, lien, renes, caro musculorum, lingua, cor, nervi molliores, quorum natura, ut Galenus, *l. 2. de temperamen. cap. 3.* docet, proxima est cuti.

*Humidæ.*

Siccæ partes sunt ossa, cartilagine, ligamenta, tendines, membranæ, arteriæ, venæ, nervi duri.

*Siccæ.*

Porro est etiam quædam temperamenti in corpore humano differentia, ratione sexus & ætatis. Primum etsi fieri possit, ut fœmina aliquid biliosa viro pituitoso comparata possit dici calidior: tamen ut plurimum, & si natura fœminarum cum virorum natura comparatur, fœminæ sunt frigidiores: idq; in humano genere longè evidentius, quàm in aliis animalium speciebus, in quibus ferè æqualibus exercitiis mares ac fœminæ sunt deditæ. Nam præter id, quod frigidioram naturam à principis generationis cõtraxerunt fœminæ, id satis docet, fœminas esse maribus frigidiores, quod plurimum sanguine abundare oportebat, qui fœtus etiam generationi sufficeret. Quæ de causa & menstrua purgatio ipsis data est, qua singulis mensibus, dum gravidæ non sunt, sanguinis illam copiam deponunt. Ob id enim calor

*Temperamentia sexuum.*